

parari à se invicem debeant. 3. Si consensensus, quo contracta sunt sponsalia, non redditur irritus per errorem fortunæ sive divitiarum, multò minus ob paupertatem matrimonium consummatum poterit dirimi. Anteced. est clarum ex super. E. & consequens. Benè Lutherus Tom. V. *Jen. Germ. f. 257.* Gleich wie sie ein Leib sind worden/ so müssen sie gleich auch ein Leib bleiben/ es komme Ehre oder Schande/ Gut oder Armuth.

§. 2. Alterum membrum casus propositi est, an propter promissam sed non acceptam dotem matrimonium dissolvi possit? ubi rursus negativa vera est. Nam Christus & Paulus, quando assignant causas divortii, nullibi mentionem faciunt denegatæ dotis, quod hæc dissolvat matrimonium. Christus assignat adulterium, Matt. XIX. Paulus 1. Cor. 7. malitiosam desertionem. Accedit, quod dos ad matrimoniale vinculum non spectat. E. ejus denegatio non solvit matrimonium.

§. 3. Idem dicendum de tertio membro propositi casus, an furtum alterius partis matrimonium solvat? hoc enim negatur, quia furtum vinculo matrimoniali non adversatur.

## TITVLVS QVARTVS DE VOTIS.

### CASVS I.

**A**N vota ex metu & perturbatione facta obligent & valida sint?

#### §. 1.

**V**Ota non sunt ejusdem generis. Dantur enim vota 1. de officiis ceremonialibus, cujusmodi erant in V. T. de sacrificiis. Talia vota hodie non obligant, cum ceremonialia, ad quæ spectant, per Christum in N. T. sint sublata. 2. Dantur vota de corporalibus exercitiis, ut quando quis Deo vovet jejunium, eleemosynam &c. Talia vota, si facta sunt, servari possunt, modò absit opinio cultus divini aut meriti, & ut fiant tantùm, ut ad preces, meditationes,

X x

tiones,